

Gratia stat meritis à grato digna, studebit

In teneris natis commodus esse tibi.

Sed nunc tempus adest: Fribergica porta patescit,

Hic nunc, illuc te qui vehat, astat equus.

I bone vir, visu & votis te prosequor, optans,

Hinc ut salvus abis, sic ibi salvus agas.

Salva tibi conjux, sit pusio salvus uterq;

Crescat & in laudem salvus uterq; DEI.

IOVA tibi faveat, dio faciatq; favore,

Ex animi voto ut, quod geris, omne geras.

Post IOVAM, Mystes faveat GENSREFUS IÖVÆ,

Sionii, Aonii gloria magna chori.

Ordo Senatorum faveat civ̄esq; fideli

Qui curæ credent pignora chara tuæ.

PLEISNERUS faveat, multùm ceu favit, ob artem

Magnifici meritò nomina Magnus habens.

THORSCHMIDIUS faveat, felix quem dextera clarum

Et Charis humana & lingua diserta facit.

Collegæ faveant, faveat SCHELNBERGIUS, ille

Nobilis Antistes arte fidèq; scholæ.

Deniq; quisquis amat doctos, dignetur amore

Te, sempérq; tibi pectora fida probet.

Sicq; favore DEI, sic terrigenumq; favore

Dulcia FRIBERGÆ tempora sospes agas.

Hoc Tibi sinceri monumentum pono favoris:

Perge favere mihi, pergo favere tibi.

Sicq; HAVSMANVM meum di-
mitto ex oculis, non ex animo

M. Martinus Gerber Misn.

Diaconus Mitwedanus.